



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

**Spirens., 1660**

7. Quid sit inquisitio specialis? in quo differat à generali: in speciali qua ratione procedendum? quae citatio praemittenda? an interest probari crimen?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**

lati: quo tamen casu delictum superiori non ut Judici, sed ut Patri aperiendum esset, ut suâ prudentiâ & authoritate provideat de remedio. 2. quando delictum vergeret in grave damnum publicum, vel privatum alterius innocentis & pendens adhuc in futurum, ut v. gr. sunt crimen hæresis, læsæ majestatis, veneficium, quæ à Juristis vocantur crimina excepta. **ADDO 3.** si quando fiat inquisitio non ad effectum puniendi, sed corrigendi, & pro salute animæ, ut dum Episcopus informationem petit de vita & moribus eligendi, & consecrandi ad sacros ordines: matrimonio jungendi, & ego scio justum impedimentum, aut notabile damnum inde aliis eventurum, possum ego tunc monere illos, quibus imminet periculum, imò teneor etiam non rogatus patefacere defectum, quantum satis est, si alia via commodior impediendi malum illud non occurrat, ut benè *Less: cap: 11. n. 19.* & colligitur ex *Panormitan. in cap. perniciosa. de offic. ord:* Atq; hæc de primo genere inquisitionis generalis.

7. Specialis inquisitio ea est, qua Ju-

dex & de persona & de crimine in specie  
 inquirat. v. gr. de Petro, an homicidium,  
 quod hodiè factum est, commiserit. Dif-  
 fert à generali, quod hæc sit via ad specia-  
 lem. L. 1. §. qui questionem. ff. de questionibus.  
 Innoc: ad cap: bonæ. 23. num. 5. de elect. &  
 quia in speciali de jure Canonico debent  
 ei, contra quem instituenda est, edi capi-  
 tula, de quibus inquirendum fuerit. cap.  
 eod: in 6. & quidem specialia, quæ omnes  
 scilicet contineant, & singulas circumsta-  
 tias delicti commissi, tali loco, anno, men-  
 se, cum tali persona, adversus talem, &c.  
 juxta formam. L. libellorum. 3. ff. de accus; ut  
 reus facultatem habeat tuendi se. cap. qua-  
 liter. 24. ver. debet igitur. hoc tit. (exceptis  
 criminibus jure exceptis, in quibus summa-  
 riè & de plano proceditur teste Marant  
 6. par. n. 36.) imò non solum dicta, sed eti-  
 am nomina testium publicanda sunt, nec  
 non exceptiones, explicationes legitimæ  
 admittendæ. cit. §. debet. Ubi vide, quæ ra-  
 tione Prælato procedendum in inquisitio-  
 ne contra subditos, item quo pacto insti-  
 tuti ea debeat contra ipsos Prælatos, si de-  
 linquant: talis enim diffamatio in Prælato  
 exi-

exigitur, ut diutiùs sine scandalo dissimulari nequeat, vel sine periculo tolerari. Insuper non nisi in gravibus delictis procedit, & quidem præmissâ citatione offensi & eorum, qui sanguinis conjunctionem proximiorum habent, quibus à jure permittitur prosequi suam suorumq; injuriam, ut declarent, an accusationem instituire velint: nam comparente accusatore de jure civili inquisitio desinit, utpote remedium juris extraordinarium. *L. in provinciâ. 3. ff. de novi oper. nunc* ita ut coram alio quoq; Judice accusatio institui possit, impediaturq; accusationem coram alio ceptam: in delictis ordinariis. **P R Æ T E R E A** interest, an per inquisitionem crimine probatum sit, an per accusationem, nam per accusationem prodito & probato crimine tenetur Judex pœnam à lege statutam infligere: eo verò patefacto per inquisitionem eam Judex pœnam modeveri potest, *cit. cap. inquisitionis. 21. in princ:* nisi crimen eiusmodi sit, quod delinquentem beneficio indignum reddat: quale est Simonia, & quod executionem ordinis impedit: nam in utroque hoc casu nullum

Judicis est arbitrium, sed huic fit depositio, & in in illo fit privatio. *cit. cap. inquisitionis.* Vide reliqua ad hoc genus inquisitionis spectantia. n. 3. 4. 5.

8. Ad inquisitionem mixtam, quando ea fit specialiter de crimine publico & notorio, pari modo per se sufficit ipsum Judicis officium; v. g. jacet in via publica homo interfectus ab aliquo: vel notorie constat domum alicuius igne exustam esse vel direptam, licet Judici etiam nulla præcedente infamia inquisitionem facere de authore in communi quis commiserit, non examinando de aliquo in particulari, quia ut benè *Barth. Clarus & alij*, evidentia patrati criminis non indiget accusatore. *cap. evidentia. de accus. can. manifesta. 2. q. 1.* Vndè quando fama dicitur debere præcedere inquisitionem solùm est, quando Judex inquit specialiter contra certam personam, ut habetur *cit. capit. qualiter & quando 2. de accus.* non autem, quando per generalem aut specialem ex parte delicti: ut præterea constat ex rationibus supra n. 6. allatis, quæ ad hanc conclusionem firmandam non minus deserviunt. SI DI-